

INDICES
LECTIONUM

ET

PUBLICARUM ET PRIVATARUM

QUAE IN

ACADEMIA MARBURGENSI

PER

SEMESTRE AESTIVUM


INDE A D. XV. M. APRILIS USQUE AD D. XV. M. AUGUSTI MDCCCLXXXIII

HABENDAE PROPONUNTUR.

Varias observationes de antiquitate Romana praemisit *Eugenius Bormann*.

MARBURGI.

TYPIS ACADEMICIS ROBERTI FRIEDRICH.



ACADEMIAE MARBURGENSIS
RECTOR CUM SENATU
COMMILITONIBUS DILECTISSIMIS

S. P. D.

I.

Maecenatis amici Augusti nomen vulgo dicitur, etiam in libris conscriptis nuperrime et ab hominibus antiquae nominum rationis peritis, C. Cilnius Maecenas, tamquam Cilnius fuerit nomen gentilicium, Maecenas cognomen. Atque cum apud scriptores antiquos plerumque nudo Maecenatis nomine significetur, praenomen autem Gaii multi testati sint ut Velleius 2, 88, 2 (*C. Maecenas*), Tacitus ann. 14, 53 (*C. Maecenati*), Cassius Dio 49, 16 (*Γαῖός τις Μακίνας*), etiam nominis gentilicii Cilnii videri possunt extare testimonia idonea, alterum Taciti ann. 6, 11, ubi quod in codice est *cilinium maecenatem* Lipsius correxit in *Cilnium Maecenatem*, alterum Augusti, quem Macrobius sat. 2, 4, 12 tradit in epistula ad Maecenatem scripsisse *vale ... Cilniorum* (codices *cilueorum*) *smaragde*. Sed ne nominis illam formam fuisse concedatur, obstat quod certum est apud Romanos nomen Maecenatis non fuisse cognomen sed nomen gentilicium sive, si fuit origine Etrusca, pro nomine gentilicio usurpatum. Id certo apparet ex titulis, in quibus Maecenas et genere feminino Maecenatia constanter gentiliciorum nominum locum tenent. Exempli causa affero basim urbanam anni 70 post Christum exhibentem nomina tribulium Sucusanae iunioris disposita per centurias ex ordine litterarum, a quibus nomina gentilicia incipiunt (C. I. L. VI n. 200), in qua est in centuria prima in littera M: *C. Maecenas Olympicus*; item inscriptionem quae saeculo XVIII Neapoli fuit (Mommsen Inscr. Neap. n. 3761) *C. Maecenati Maecenatis ipsius l(iberto) Lysiae*; titulum sepulcralem urbanum adhuc extantem (C. I. L. VI n. 4723) *Q. Aem(ilio) Horo et Maecenatae Faustillae*. Hoc non ignorans vir summus Odofredus Müller (*die Etrusker* I p. 404. 416 = p. 377 ed. Deecke) coniecit Maecenatem usurpasse duo nomina gentilicia, quod paterna stirpe ex gente Cilnia, materna ex Maecenatia originem duceret. Sed ea aetate hominem Romanum usu

sollemni duobus nominibus gentiliciis usum esse idque ne adoptionis quidem causa accedente ita est improbabile, ut nisi certissimis argumentis coacti tale quid homines periti non mihi videantur concessuri esse. Accedit quod, si his duobus nominibus gentiliciis usus sit, certe non Cilnii sed Maecenatis pro primario sive legitimo habendum esse inde efficitur, quod qui servi ex hereditate Maecenatis in possessionem Augusti transierunt, cum more solito a nomine prioris domini secundum nomen acciperent, nominatos esse non Cilnianos sed Maecenatianos tituli docent. Nam in familia Augusti Cilniani omnino non reperti sunt, sed, ut exempla afferam, in monumento, in quo sepulta est familia Liviae uxoris Augusti (C. I. L. VI n. 3926—4326) reperti sunt tituli sepulcrales qui adhuc extant hi: *Cissus Caesaris Maecenat(ianus) | Parmeno Liviae u purpur(a) Maecenatian(us)* (l. c. n. 4016); *Agrypnus Caesar(is) Aug(usti) Maccenatian(us) a statuis* (l. c. n. 4032); *Anna Liviae Maecenatiana* (l. c. n. 4095). Idem eo efficitur quod eius Melissi liberti Maecenatis, qui genus fabularum trabeatarum invenit, nomen fuisse Maecenatem Melissum aperte testatur Plinius n. h. 28, 6, 62 (*Maecenatem Melissum accepimus*). Item in titulo supra allato *C. Maecenati Maccenatis ipsius l(iberto) Lysiae* dominum fuisse Maecenatem hunc virum primarium adiectione insolita verbi *ipsius* significatur. Itaque cum viri, de quo agimus, nomen Maecenatis certe legitimo usu solum tenuisse locum nominis gentilicii constet, nescio an cum testimoniis nominis Cilnii, quae supra attuli, ea conciliari possit explicatio, ut statuamus eum non usu sollemni Cilnii nomine usum esse, utpote non per agnationem a Cilniis oriundum, sed usu familiari eum huius gentis dictum esse, quod ex ea aliquo modo feminina stirpe originem duxisset. Qua in coniectura eo minor offensio est, quod omnino apud Etruscos maternam originem magni aestimatam et saepe in nominibus expressam esse notum est, in Maecenate autem, de quo agimus, ut nobilitatem praedicatam esse propter Horatianum illud *Maecenas atavis edite regibus* omnes sciunt, ita idem Horatius quo loco eum generosissimum Etruscorum dicit (sat. I, 6 in.), diserte etiam maternam originem significat (v. 3 *nec quod avus tibi maternus fuit atque paternus, olim qui magnis legionibus imperitarent*), denique cum de Maecenatibus in antiqua historia Etrusca quantum scimus silentium fuerit, Cilnium genus Livius 10, 3 (cf. 5) testatur praepotens fuisse Arretii, id est in eo oppido ex quo Maecenatem originem duxisse Augustus loco Macrobiani supra scripto testatur eum alloquens *lasar Arretinum*. Haec qui considerat nescio an concedendum putet, etiamsi Maecenas Cilnium nomen non gereret legitimo usu, tamen fieri potuisse non solum ut Augustus eum diceret *den Smaragd der Cilnier*, sed etiam Tacitus, scriptor eius aetatis qua multi homines nobiles duobus nominibus gentiliciis uterentur, *den Cilnier Maecenas*.

Haec quae probabiliter puto exposita sunt confirmantur inscriptione in qua, nisi omnia me fallunt, nomen Maecenatis integrum positum est. Eam adhuc animadversam non esse mirum est, quod praeter alios libros impressa est in sylloge per tria saecula usitatissima Gruteriana. Marmor ipsum perit vel latet, sed de lectione auctoribus iisque locupletibus consentientibus nulla est dubitatio. Est igitur apud Gruterum p. 945, 10: 'Romae in aedibus episcopi Aquinatis adversum aedes Farnesii ad Tiberim, insignibus literis, lapide modice concavo: *leibertorum et leibertar(um) C. Maecenatis L(uci) f(ili)*

'*Pom(ptina) postereisque eorum et qui ad id tuendum contulerunt contulerint*'. Apparet esse inscriptionem monumenti eius generis, quod nunc vulgo dicitur columbariorum, facti a libertis qui erant in familia C. Maecenatis. Huius monumenti autem tempus videtur salis certo constitui posse. Nam qui homines periti examinauerint titulos horum monumentorum, quae vel extant vel fideliter descripta sunt, cura Henzeni et mea compositos in secunda parte voluminis VI Corporis Inscr. Lat., intellegent eius generis monumenta non ante aetatem Augusti institui coepta esse, quod autem scriptum est *ei pro i in leibertorum, leibertarum, postereis* significat hoc potius priori vel mediae aetati Augusti tribuendum esse quam extremae. Ita cum factum sit aetate Maecenatis, de quo agimus, eum ipsum intellegendum esse dominum certum videtur, quoniam dominus certe fuit homo dives, alius autem Maecenas homo primarius, si tum in urbe Roma vixisset, parum credibile est futurum fuisse ut eius memoria prorsus nulla extaret. Accedit quod et praenomen Gaii convenit et tribus Pomptina, nam huic tribui adscriptum fuisse Arretium, unde Maecenas originem duxit, pridem cognitum est. Ita certo puto cognoscitur amici Augusti plenum nomen fuisse *C. Maecenas L. f. Pom(ptina)*.

Pater cum inveniatur habuisse praenomen Luci, non potest fuisse is Gaius Maecenas, quem Cicero pro Cluentio 56, 153 memorat inter equites Romanos, *robora populi Romani equestrisque ordinis*, qui M. Druso tribuno plebis (a. 91 a. Chr.) restiterint. Sed etiam temporum ratione habita probabile videtur eum fuisse avum, ut is Maecenas, de quo agimus, acceperit praenomen avi paterni.

II.

Inter oppida orbis antiqui originis Romanae sive Latinae fere unius urbis Romae divisio et administratio accuratius cognitae sunt. Cuius quae per multa saecula permansit divisio, hanc notum est redire ad eum, qui omnium maxime urbis Romae ut splendori ita securitati providit, Caesarem Augustum, qui, ut est in vita Suetoniana c. 30, *spatium urbis in regiones vicosque divisit*. Ego cum nuper inscriptiones Latinas Ariminenses recenserem, aliquid observavisse mihi visus sum de huius oppidi vicis, quod hic mihi liceat proferre. In inscriptionibus Arimini sive, quod inde ab aetate Augusti eius nomen fuit, *coloniae Augustae Ariminensis*, saepius occurrunt *septem vici*. Eos quamquam nuper Beloch *der italische Bund unter Roms Hegemonie* p. 143 rusticos putavit, iam satis cum alii tum Toninius *Rimini avanti il principio dell'era volgare* (Arimini 1848) p. 206 seqq. probaverunt esse urbanos. Mihi tituli aperte demonstrare videntur oppidum divisum fuisse in septem vicos atque qui saepius memorantur vicanos vicorum septem coniunctos effecisse plebem Ariminensem. Hoc, ut uno exemplo defungar, satis docet titulus Toninii 346, 33 (Orelli 3116; C. I. L. XI, 419), secundum quem aliquis *decurion(ibus) et vicanis vicor(um) VII sing(ulis) in annos (denarios) III in perpet(uum) re[(i)quit]* et in eam rem fundos XXI obligari iussit, quorum partem VI legis Falc(idiae) nomin(e) deductam ... (mulier aliqua, quae videtur aliquanto post in heredis legatoris locum

M. Maecenas L. f. Pomptina
gentilis - Titulus huius dicitur
est munitio
M. Maecenas
gentilis
et huius

pervenisse) *populo concessit*, in quo titulo cognoscitur *decuriones et vicanos vicorum VII* eosdem esse, qui in posteriore parte dicuntur *populus*. Ex his septem nota sunt per inscriptiones nomina vicorum quattuor et quinti ex parte: fuerunt *Aventin(us?)* (XI, 421; Henzen 7070), *Cermalus* (XI, 419), *Dianensis* (XI, 379; Orelli 80), *Velab(rus)* (XI, 417; Grut. 1097, 2); quinti nomen incipit a litteris *for* .. (XI, 404; Tonini *Rimini* vol. IV p. XX). Memorabile autem est in oppido Pisidiae dicto Antiochia Caesarea item vicos inveniri eosque certe ex parte iisdem nominibus nominatos atque Ariminenses. Noti enim sunt ex basibus duobus viris positis quattuor Antiochiae vici dicti *aedi[l]icius* (C. I. L. III, 290), [*C*]erma[l]us (III, 296), *Tuscus* (III, 297), *V[e]labrus* (III, 289), ut duo saltem vici Ariminenses et Antiochenses eiusdem sint nominis. Iam vero et Ariminum (cf. Tonini p. 169. 175; C. I. L. vol. XI p. 76) et Antiochiam (cf. Marquardt *Alterthümer* 3, 1 p. 157 = *Staatsverwaltung* I p. 365) Augustum deduxisse colonias videtur extra dubitationem positum esse. Quodsi consideramus eundem Augustum, qui has colonias constituit, urbem Romam in regiones bis septem vicosque divisisse, eum etiam Antiochiae et Arimini huius rei auctorem fuisse, tam est probabile ut videatur certum dici posse.

Similitudo divisionis Arimini et Antiochiae Caesareae num latius patuerit, definiri nequit. Quamquam ut minime certum ita non improbabile videtur Antiochiam quoque ut Ariminum fuisse divisam in septem vicos et utriusque oppidi omnes vicos habuisse eadem nomina. Quod si fuit, nomina eorum in utroque oppido fuerunt *aedilicius*, *Aventinus*, *Cermalus*, *Dianensis*, *Tuscus*, *Velabrus*, aliquod denique quod a *for* incipiebat. Hoc quoque ut reliqua omnia adiectivum fuisse, non formae genetivi ut *For[tunae]*, ratio commendat, et cum pauca adiectiva ab his litteris incipiant, nescio an probabiliter conici possit id fuisse *forensis*. Sed haec res incertae sunt neque, antequam monumentis novis edoceamur, argumentatione videntur confirmari posse, nisi contingit quid significant haec septem nomina singula et coniuncta explorare. Qua de re praeceptor meus Theodorus Mommsen, cum ei proposuissem quae observaveram, ingeniose aliquid excogitavit, quod hic non meum esse puto proferre. Sed ea quoque quae adhuc certa sunt aliquid conferre mihi videntur ad rationes Augusti melius cognoscendas. Probavisse videor eum cum colonias deduceret id quoque curasse, ut in iis apta institueretur divisio oppidi, quae fundamentum esset administrationis. His vicis autem nomina indidit vel omnibus vel saltem plerisque a locis urbis Romae antiquae. Id certum est in Aventino, Cermalo, Tusco, Velabro, haud improbabile in Dianensi, de aedilicio minus patet, sed in eo quoque aliquam rationem excogitari posse Mommsenus re probavit, denique vicus forensis incertum est utrum nomen habuerit, quod intra eum situm esset forum an a foro Romano. Quod autem vicis Arimini et Antiochiae eiusmodi nomina dedit, mihi videtur coniunctum esse cum studio Augusti in hominibus suae aetatis amorem patriae sive antiquae Romae excitandi. Cum prospiciens ut coloniae a se deductae apte administrarentur rem ita instituit, ut oppida in septem vicos divisa quasi effigiem redderent maximae Romae, quae erat septem montium et bis septem regionum per eum facta est, utque homines usu cotidiano tererent nomina celebria antiquissimae urbis Romae, id videtur egisse ut etiam Ariminenses et Antiochenses sibi Romani esse viderentur filiique urbis Romuleae. Ita-

VII

que aut fallor aut eidem studio Augusti, cui debentur Vergilii Aeneis et annales Livii, fasti triumphales in parietibus regiae incisi et statuæ clarorum ducum Romanorum collocatae ut Romae in foro Augusto ita in foris Arretii et Pompeiorum, eidem debentur nomina de quibus diximus et numerus vicorum municipalium.

III.

In inscriptionibus Ariminensibus recensendis item mihi tractanda fuit inscriptio nobilissimi antiqui monumenti, quod Arimini extat, arcus triumphalis, quo loco via Flaminia, quae hic terminum habebat, intrabat oppidum Ariminum, facti in honorem Caesaris Augusti, qui bellis confectis cum ceteras vias magnas Italiae reficiendas curavit tum ipse institit reficiendae sive muniendae viae, quae iam illa aetate erat fere omnium primaria, Flaminiae, qua Roma cum Italiae parte optima et cum regionibus imperii Romani ad occidentem septentriones orientem situs coniungebatur. Quod meritum Augusti ita enarrat ut etiam arcus triumphalis huius mentionem faciat Cassius Dio dicens 53, 22: *ἐν μὲν γὰρ τῷ προειρημένῳ ἔτει* (a. u. c. 727, ante Chr. 27) *τὰς ὁδοὺς τὰς ἔξω τοῦ τείχους δυσπορεύτους ὑπ' ἀμελείας ὄρων οὔσας, τὰς μὲν ἄλλας ἄλλοις τισὶ τῶν βουλευτῶν ἐπισκευάσαι τοῖς οἰκείοις τέλεσι προσέταξε· τῆς δὲ δὴ Φλαμινίας αὐτός, ἐπειδήπερ ἐστρατεύειν δι' αὐτῆς ἐμελλεν, ἐπεμελήθη, καὶ ἡ μὲν εὐθὺς τότε ἐγένετο, καὶ διὰ τοῦτο καὶ εἰκόνας αὐτῶ ἐφ' ἀψίδων ἐν τε τῇ τοῦ Τιβερίδος γεφύρῃ καὶ ἐν Ἀριμίνῳ ἐποιήθησαν.* Scilicet arcuum duorum hic memoratorum ornatorum statuis Augusti alter, qui fuit in ponte quo prope Romam Flaminia Tiberim transibat, id est Mulvio, omnino periit, alter, qui fuit Arimini, is est, qui adhuc fere integer extat, qui cum diu fuisset pro porta moenium urbanorum Arimini, iam est paucis passibus intra portam orientalem. Operam item memorant Suetonius in vita Augusti c. 30 scribens: *quo autem facilius undique urbs adiretur, desumpta sibi Flaminia via Arimino tenuis munienda reliquas triumphalibus viris ex manubiali pecunia sternendas distribuit*, et Augustus ipse in indice rerum a se gestarum, in quo est 4, 19 secundum supplementa Mommseni et Bergkii: *co[n]su[l] septimum viam Flaminia[m] m[un]iv[er]i Ari[mino] tenuis et in ea pontes[o]mnes] praeter Mu[l]vium et Minu[c]ium [refecit].* Ad eandem rem referuntur complures nummi, maxime ii (Cohen August. n. 188—190) qui exhibent imaginem arcus, qui fuit in ponte Mulvio, et inscriptionem *s(enatus) p(opulus)q(ue) R(omanus) Caesari Augusto* || *quod viae mun(itae) sunt*; in uno (Cohen Aug. n. 187) pro *Caesari Augusto* est *imp. Caesari*, in uno (Cohen Aug. n. 191) duo arcus exhibentur; denique pecuniam, ex qua viae munitae sunt, datam esse ab Augusto significant nummi L. Vinicii triumviri (Cohen *médailles consulaires* tab. XLII Vinicia n. 3—5) exhibentes cippum inscriptum *s(enatus) p(opulus)q(ue) R(omanus) imp. Caesari quod (viae) m(unitae) s(unt) ex ea p(ecunia) q(uam) is ad a(erarium) de(tulit)*. Iam arcus Ariminensis etsi extat, tamen ita vel laesus vel mutatus est, ut non solum ornamenta nonnulla desint sed etiam inscriptionis haud parva pars perierit. Supersunt ex ea secundum meam lectionem haec:

SENATVS · POPVLVSC

COS · SEPT · DESIGNAT · OCTAVOM · V |
CELEBERRIMEIS ITALIAE VIEIS CONSILIO

IA
VS
MEIS

De monumento qui primus optime disputavit Borghesius conscripto uberrimo commentario in Brighentii libro *illustrazione dell'arco di Augusto* (Arimini 1825) p. 7—58 = opp. 2 p. 361 seqq., recte omnino versus primi partem posteriorem et qui totus deest versus secundum explevit sic: *senatus populusque Romanus imp. Caesari divi Iuli (filio) Augusto imperatori sept(imum)*, nisi forte v. 2 pro *divi Iuli f.* fuit *divi f.* Supplementa versuum 3 et 4 inde pendent, quod in fine v. 3 cognoscere sibi visus erat hastam directam, in fine v. 4 MEIS ita positum, ut ante necesse esset fuisse non hastam directam sed litteram curvatam ut c vel o vel d. Supplevit autem post *co(n)s(uli) sept(imum)*, *designat(o) octavom* haec: *v[ia Flamin]ia [ab eo munita est] | celeberrimeis Italiae vieis consilio [et opera eius] [munitum trad]iteis*. Post eum Mommsenus in commentario ad indicem rerum ab Augusto gestarum 4, 19 prius supplementum tenuit, pro posteriore proposuit *consilio [eius populi] us[ibus redd]iteis*, denique Th. Bergkiius ad eundem locum post *v[ia Flamin]ia [ab eo munita est]* inserto *stratis* scripsit: *[stratis] celeberrimeis Italiae vieis consilio [et inssu eius, [votis red]diteis*. In his trium virorum supplementis quae vel propter spatium vel propter sententiam offendant, enumerare supersedeo, quoniam ipsum fundamentum, cui superstructa sunt, non prorsus solidum est. Videtur enim saeculo XVI extrema pars versuum 3 et 4 paulo integrrior superfuisse, nam exempla huius saeculi Bovii et Albertii, de quibus in Corpore Inscr. Lat. vol. XI ad hanc inscriptionem (n. 365) exposui, exhibent c s vel c s et NILEIS. Atque cum mihi quoque reliquiae in fine v. 3 visae sint convenire cum littera s, haec videtur satis testata esse, praecedens littera, cum iam tum eam fractam fuisse consentaneum sit, fortasse non recte intellecta est. In v. 4 autem quod tradiderunt NILEIS, certe in littera L erraverunt, quippe cuius lineam transversam in lapide non fuisse cognoscatur, sed ante MEIS quod Borghesius putavit fuisse litteram curvam erravit puto, quoniam cognovisse visus sum vestigium hastae directae, ut non necesse videatur de litteris NI dubitare. Itaque satis probabiliter inscriptio in hanc formam redintegrari potest:

SENATVS · POPVLVSC *ue romanus*

imp. caesari divi f. augusto imp. sept.

COS · SEPT · DESIGNAT · OCTAVOM · V | *ia flamin]ia et reliqueis*
CELEBERRIMEIS ITALIAE VIEIS CONSILIO *et sumptibus eius muniteis*

Haec verba ut cum reliquiis, quae vel extant vel extiterunt, optime conveniunt, ita et formae, quae in titulis huius generis et huius aetatis esse debebat, et rei ipsi, qualis tradita est, apta mihi esse videntur. Nam vel ipsa diversitas, quae est inter inscriptiones nummorum publice cusorum *quod viae mun(itue) sunt* et huius arcus item publice facti, consentanea fuit, quoniam in arcu, quo via Flaminia terminabatur, huic primum locum tribui et reliquas appendicis loco poni aptum fuit. Sane verbum quod recepimus *sumptibus* verum esse, non aliud simile verbum, praestari non potest.

IX

IV.

Quoniam de termino viae Flaminiae dicendum mihi fuit, subiunxi pauca de eiusdem viae cursu medio inter oppida Narniam (*Narni*) et Nuceriam (*Nocera*). Is in libris vel tabulis, ut in Kiepertianis, plerumque dicitur vel pingitur transiens per oppida Interamnam (*Terni*), Spoletium (*Spoletto*), Trebias (*Trevi*), Fulginias (*Fuligno* sive *Foligno*). Atque re vera per haec oppida viam publicam populi Romani iisse eamque aetate saltem posteriore imperatoria celebrem testes sunt itineraria, in quibus stationes ita enumerantur, Antonini p. 125 in via Roma Ariminum, Hierosolymitanum p. 613 in via Roma Mediolanium, denique Peutingerianum, in quo cum plura confusa sint, pingitur via Interamnio Spoletium ita, ut a neutra parte via continuata sit. His itinerariorum locis quae exhibentur stationes et intervallorum mensuras subieci, ubi codices variant aliquoties discedens a Partheio; usus autem sum hac quoque in re opera bonae spei iuvenis Io. Bapt. Keune, qui in inscriptionibus recensendis me adiuvens in lapides miliarios operam impendit.

itin. Anton. p. 125: itin. Hieros. p. 613: Peutinger.:

Narnia VIII Interamnia XVII Spolitio XVIII Foro Flamini XXVII Helvillo	Narniae VIII:1 Interamna III tribus tabernis X Fani Fugitivi VII Spolitio VIII Sacraria IIII Trevis V Fulginis III Foro Flamini XII Nuceria VIII Planias VII Herbelloni	Interamnio XI ad Time Recine II Fano Fugitivo V Spoletio
--	--	---

Sed praeterea Narnia Nuceriam sive Forum Flaminium aliter ibatur via strata ita, ut a Narnia fere per oppidum, quod nunc est *S. Gemini*, iretur Carsulas, cuius oppidi rudera sunt inter *S. Gemini* et *Acquasparta*, tum in vicum Martis, quem infra exponam fuisse in ipsa via qua nunc itur a ruderibus Carsularum et Acquasparta Mevaniam prope aedem *S. Mariae* in Pantano, deinde Mevaniam, quae nunc est *Bevagna*, tum Forum Flaminium, unde haec via et via ante enarrata eadem fuerunt. Nam huius viae stationes enarrantur in itineralio Antonini p. 311, ubi praemissum est (*via*) *Flaminia*, in quattuor vasculis Apollinaribus, in quibus stationes viae Gadibus Romam enumerantur, denique reliquiae

etsi confusae exstant in Peutingeriana. In iis quae stationes et mensurae referuntur subieci omissis si quae in quarto vasculo aliter leguntur.

<i>vascula</i>		
<i>itin. Ant. p. 311:</i>	<i>Apollinaria quattuor:</i>	<i>Peuting.:</i>
Narniae	Narnia	
xviii	xviii	
ad Martis	ad Martis	
xvi	xvi	
Mevaniae	Maevania	Mevanie
xviii	xviii	xvi
		Foro Flamini
Nuceriae	Nuceria	xii
		Nucerio Camellaria

Vicus Martis item pingitur in Peutingeriana, sed alio ordine, quae res quomodo confusa sit longum est hic exponere. Ex his stationibus Mevaniam esse quae nunc est *Bevagna* certissimum est, deinde quod dicitur *ad Martis* fuisse loco supra indicato ad aedem S. Mariae in Pantano iam dubium non est, quoniam et repertae ibi sunt complures bases positae a *vicinis vici Martis Tudertium* et spalia optime conveniunt, cum haec aedes recta regione a Narnia absit 23 chiliom. sive 15½ milibus, a Mevania 21 chil. sive 14 milibus, ut ratione habita curvaturae viae mensurae XVIII et XVI milium egregie illi loco aptae sint.

Ita certo efficitur viam Flaminiam antiqua aetate Narniae habuisse bivium, ut duabus viis inde iretur Nuceriam sive Forum Flaminium, altera per Carsulas vicum Martis Mevaniam, altera per Interamnam Spoletium Trebias Fulginas. Atque plerique posteriorem crediderunt ipsam Flaminiam, aliter qui iudicaverint repperi auctores tabularum nonnullarum, in atlante antiquo Spruneri-Menkei atque inter editas a viris militaribus Austriacis, et Heraeum in adnotatione ad Taciti hist. 1, 86. 2, 64. Sed hos verum vidisse mihi certissimum videtur propter plures rationes. Atque ut omittam rationes minus necessarias, inter quas est quod viae per Mevaniam tendenti in Antoniniano praemissum est ipsum nomen viae Flaminiae, et quod ad viam Interamnam transeuntem nullus adhuc lapis miliaris repertus est, contra inter vicum Martis et Mevaniam saltem cippus nondum editus testans Hadriani restitutionem viae, testimonio sunt vascula quattuor Apollinaria bonae aetatis certe longe antecedentia itinerariis scriptis quae extant, in quibus vasculis stationes viae primariae non deverticuli notatas esse tantum non necessarium videtur, via autem Nuceria Narniam enarratur per Mevaniam et Martis non per Spoletium et Interamnam. Idem testatur scriptor diligens aetatis Augusti vel Tiberii Strabo, apud quem 5, 2, 10 p. 227 ut oppida ad ipsam Flaminiam sita enumerantur Carsulae et Mevania (*εἰτα Κάροσσοι καὶ Μηγοναρία*), tum *Φόρον Φλαμίτιον καὶ Νουκερία*, contra ut non ad viam ipsam sed a dextra sita Interamna et Spoletium (*ἐν δεξιᾷ δὲ τῆς ὁδοῦ βαδίζονται ἐκ τῶν Ὀρίκλων εἰς Ἀρίμινον Ἰντέραμνά ἐστι καὶ Σπολιτίον*). Item Tacitus hist. 2, 64 testatur Interamnam non ad Flaminiam fuisse dicens: *Vitellius ... vitata Flaminiae viae celebritate devertere Interamn[a]m ... iussit*. Denique et numeri lapidum miliariorum inter Nuceriam et terminum viae Flaminiae Ariminum repletorum et spatium, quod Strabo dicit fuisse viae Flaminiae ab

Arimino ad Oriculum, conveniunt cum mensuris traditis viae a Narnia per Mevaniam Nuceriam ductae, non cum mensuris viae Spoletium transeuntis, id quod cognovi cum Keunio lapides miliarios recensens, accuratius autem demonstrare longius est quam huic loco conveniat. Atque etiam eis quae attuli satis puto demonstratum esse, cursum viae Flaminiae a Narnia fuisse per Carsulas et Mevaniam, quamquam fieri potuit ut diverticulum, quod fuit per Interamnam et Spoletium, aetate imperatoria posteriore ipsam viam Flaminiam celebritate vel aequaret vel superaret.

V.

His ipsis diebus, quibus haec scribo, recensens inscriptiones Latinas Veleiae, cuius oppidi antiqui rudera ante annos fere CXX repertae sunt a Placentia meridiem versus in proximis collibus montis Appennini, operam dedi ei monumento scripto, quod non solum Veleiatium est gravissimum sed propter varias res inter omnes inscriptiones antiquas Latinas eximium locum tenet, dico ingentem tabulam aeneam vulgo dictam alimentariam vel Traianam, documentum nobilissimum institutionis rei alimentariae, qua Traianus, ut verbis utar tituli Ferentinatis infra allati, *aeternitati Italiae suae prospicere* conatus est. Cum enim Traianus in singulis, ut videtur, Italiae oppidis, ut omni tempore puerorum et puellarum certus numerus alimenta acciperet, iis qui praedia possidebant pecunias ita dederit, ut summarum acceptarum usurae quincunces (5%) solvendae essent et in eas summas praedia obligarentur, in hac tabula Veleiate, ut in simili tabula Ligurum Baebianorum, perscripti sunt indices praediorum obligatorum et summarum acceptarum. In huius tabulae explicatione haud paucae sunt difficultates, qua in re mihi et utile et dulce fuit, quod lieuit qui mihi sunt in hac universitate collegas iure consultos consultare. Sed cum hae quaestiones pleraeque inter se conexae sint nec fere paucis verbis explicari possint, hic pauca dicam de una a reliquis separata, quae pertinet ad viros, quorum opera Traianus in hac institutione usus est. Eorum in hac tabula memorantur duo Cornelius Gallicanus et T. Pomponius Bassus, ex quibus hunc tabula patronatus, quae extat facta a municipio Ferentinate (Orelli n. 784; C. I. L. VI, 1492) testimonio est eodem negotio etiam Ferentini functum esse. Hic quo tempore eam curam habuerit eo saepius quaesitum est, quod cum hac re coniuncta est quaestio, quo tempore Martialis epigrammatum liber duodecimus editus sit. Iam in tabula Veleiate in indicatione praediorum, quae domini ut obliganda professi sunt, ter (pag. 2 v. 37; 5, 38; 5, 56) scriptum est: *(deducto) eo quod Cornelius Gallicanus obligavit*, semel (3, 53): *(deducto eo) quod Pomponius Bassus obligavit*, semel (3, 12): *(deductis) is quae ante Cornelius Gallicanus et Pomponius Bassus obligaverunt*. Hinc conclusum est ante obligationem primariam Veleiatem ibidem et Gallicanum et Bassum praedia alimentorum causa obliganda curavisse, et alterum post alterum eo munere functum esse. Atque Borghesius quidem et Henzenus Gallicanum Basso successisse coniecerunt, Mommsenus Hermae vol. 3 p. 124 not. 2, quem secutus est Hirschfeld *römische Verwaltungsbeamte* p. 116, potius

Bassum Gallicano, adhibito loco tabulae supra allato: *Cornelius Gallicanus et Pomponius Bassus*. Sed praeterquam quod ita propter temporum rationes in angustias detrudimur, quia non ante a. 101 incipientem Traianus institutioni alimentariae operam dedisse videtur (cf. Hirschfeld l. c. p. 115), iam autem eiusdem anni 101, si de consulatu tituli Ferentinatis cum Mommseno iudicamus, vel certe 102 (quod mihi videtur praefereendum esse cum Stobbeo, cf. Friedländer *Sittengeschichte* 3⁵ p. 439) mense Octobri Bassus honoratus est propter hanc curam praeclare gestam, ipsa tabula Veleias accuratius considerata aliud indicat. Eius enim primariam partem continet obligatio Veleiae facta, ut ex nominibus Traiani colligitur, inter annos 103 et 113, addita est in ultima pagina appendicis loco v. 31 *'item obligatio facta per Cornelium Gallicanum'*, quae multo minor fuit, facta autem erat, ut ex nominibus Traiani cognoscitur, ante a. 103. Reliqua pars eius paginae vacua relicta est. Iam si ante obligationem primariam non solum per Gallicanum sed etiam per Bassum praedia obligata essent, mirum esset in appendice ex praecedentibus solam priorem, non posteriorem perscriptam esse. Accedit autem, quod ii homines, in quibus obligatio Bassi memoratur, C. Coelius Verus et L. Annius Rufinus cum fratre, iidem sunt, qui soli praeter colonos Lucenses, quorum res singularis est, praedia obligavisse dicuntur, quae ex parte saltem sita erant in agro Lucensi scilicet eiusmodi oppidi, cuius ager contiguus quidem esset agro Veleiali, ipsum autem positum ab altera parte Appennini inque alia regione Italiae, non octava, sed septima sive Etruria. Quae cum ita sint, simplex et quantum video sine offensa est statuere Pomponium Bassum institutionem alimentariam in civitate Lucensi curasse, itaque duorum horum virorum non alterum alteri successisse sed eos in diversis sive oppidis sive regionibus aequali negotio functos esse, tempore autem fortasse eodem. Atque si Traianus compluribus hominibus curam magnae huius rei in Italia instituendae mandavit, consentaneum videtur provincias, ut ita dicam, eorum secundum regiones divisas esse.

VI.

Eadem haec Traiani institutio rei alimentariae, de qua modo dixi, iam vulgo creditur expressa esse in altero anaglyphorum et argumento et opere insignium a. 1872 in foro Romano repertorum, quae olim fuerunt ornamenta aedificii nescio cuius in ipso foro constituti. Nam quantum video iam homines docti fere omnes probant eam interpretationem, quae prolata est ab Henzeno in oratione, qua brevi postquam anaglypha reperta erant Instituti nostri archaeologici Romani conventus inauguravit, *bulletino dell' Istituto* 1872 p. 273 seqq. Is igitur postquam exposuit artificium anaglyphorum aetati Traianae optime videri convenire, alterius tabulae latus exterius (in interiore utriusque suovetaurilia exhibentur), in quo exprimitur imperator in foro Romano de rostris alloquens contionem, interposita basi in qua sunt imperator sedens et ante eum mulier cum duobus infantibus, rettulit ad imperatorem Traianum rem alimentariam instituentem, allatis praeter alia nummis compluribus Traiani, in quibus est imago similis basi modo memoratae cum verbis

adscriptis *alim(enta) Ital(iae)*; alterum anaglyphum, in quo exhibentur coram imperatore in iisdem rostris fori Romani sedente tabulae per homines militares crematae, intellexit de remissione partis cuiusdam vectigalium fisco debitae, quam factam esse a Traiano testantur Plinius paneg. c. 40; Ausonius grat. act. cons. 21 et parum accurate chronicon Paschale p. 472 ed. Bonn. Hae interpretationes a plerisque acceptae sunt, etiam ab eo ipso, qui eodem tempore anaglypha in eiusdem nostri Instituti operibus (monument. vol. IX tabb. XLVII. XLVIII) commentario illustratas (annal. 1872 p. 309 seqq.) edidit, Ed. Brizio. Nam in adnotatione adiecta p. 327 interpretationem, quam ipse proposuerat, dicit se iam non tenere et Henzenianam amplecti. Mihi res ita videtur non explorata esse, ut nesciam an interpretatio, quam Brizius in commentario proposuerat, praeferenda sit. Alterum anaglyphum et ipse ad rem alimentariam rettulerat, sed eam non institutam a Traiano sed auctam ab Hadriano, cuius rei testis est vita Hadriani cap. 7, ubi est *pueris ac puellis, quibus etiam Traianus alimenta detulerat, incrementum liberalitatis adiecit*, atque ad eam liberalitatem, de qua in vitae eodem capite 7 est *congiarium duplex praesens populo dedit*. Alterum autem anaglyphum rettulit ad celebrem liberalitatem Hadriani anni 118 sive primi post imperium susceptum, propter quam ei in foro Traiani monumentum factum est, in cuius inscriptione est (C. I. L. VI n. 967): *primus omnium principum et solus remittendo sestertium novies milies centena milia n̄. (= 900 000 000 sestertiorum) debitum fisci non praesentes tantum cives suos sed et posteros eorum praestitit hac liberalitate securos*, et quae significata est in nummis eius similiter atque est in anaglypho per lictorem tabulas incendentes cum verbis adscriptis *reliqua vetera HS novies mill(iens) abolita*. His interpretationibus etsi esse quod obstat ipse Brizius vidit, tamen id fortasse tolli posse infra exponam, interpretationi autem Henzeni quod obstat, quamquam in pusilla re positum, tamen eiusmodi est, ut solum eam omnino refutare videatur, scilicet positum est in more Romanorum barbam vel promittendi vel radendi. Ipse Henzenus concessit nonnullos homines anaglyphi esse barbatos, cum plerique imberbes sint. Sane capita longe plurima ita vel ablata vel detrita sunt, ut utrum barbata an imberbia fuerint definiri nequeat, tamen cum autumno ultimo cum Carolo Diltheio amico anaglypha considerarem, nobis constitit nonnulla capita sine dubio barbata esse, nullum autem fere caput esse viri adulti, quod fuisse imberbe certum sit. Hac re mihi quaestio diiudicata videtur. Nam notum est imperatoria aetate usque ad Traianum imperatores ipsos et plerosque homines Romanos, certe eos qui morem imperatorum sequi deberent, barbam non gessisse; Hadrianum autem primum morem induxisse, qui deinde permansit, barbam promittendi et scriptores tradunt et monumenta uberrime confirmant. Ita efficitur haec anaglypha esse non posse aetatis Traiani, nam in eiusmodi monumento facto auctoritate publica et in ipso foro posito et imperatorem ipsum exhibente fieri non potuit, quin in talibus quoque rebus observaretur mos sollemnis, quem imperator ipse sequeretur. Quare interpretatio Henzeniana mihi videtur omittenda esse, Brizianae unam gravissimam difficultatem obstat ipse auctor vidit, quod Spartianus in vita Hadriani c. 7 eum narrat tabulas in foro Traiani cremandas curasse dicens: *infinitam pecuniam, quae fisco debebatur, privatis debitoribus in urbe atque Italia, in provinciis vero etiam ex reliquis ingentes*

summas remisit syngraphis in foro divi Traiani, quo magis securitas omnibus roboraretur, incensis, in anaglypho autem quin forum Romanum exhibeatur dubium non est. Hanc offensam Brizius ut leniat dicit non prorsus incredibile esse Spartianum, qui Diocletiano imperante scripsit, in tali re errorem commisisse, praesertim cum brevi ante Spartiani aetatem imp. Aurelianus tradatur in foro Traiani syngraphas cremasse, cf. vita Aureliani c. 39: *tabulas publicas ad privatorum securitatem exuri in foro Traiani semel iussit*. Talem igitur confusionem Spartiani statuere mihi quoque non admodum violentum videtur, et fortasse etiam hanc ob rem eo facilius error oriri potuit, quod, ut supra dixi, monumentum ob debita abolita factum Hadriano a senatu populoque Romano positum erat in foro Traiano. Sed ut Spartianus vere tradiderit syngraphas in foro Traiani crematas esse, nescio an non sine ratione dubitari possit, num artifex, cui mandatum esset ut aedificium aliquod fori Romani ornaret duobus anaglyphis inter se respondentibus, quorum utrumque aliquam imperatoris erga populum Romanum liberalitatem exhiberet, si altera res propter rationem aliquam, quam nos ignoramus, fortasse ob spatii angustias, non eo loco facta erat ubi fieri debebat, in sede populi Romani, foro Romano, sed in alio foro vicino, necessario crediderit sibi non licere pro utriusque rei loco forum Romanum sumere. Equidem si tale quid sibi sumpsit artifex, licentiam non graviorem esse puto, quam quod in altero anaglypho, ut omnes consentiunt, in media imagine contionis adstantis imperatori interposuit allegoriam, scilicet Italiam vel, ut alii volunt, Pietatem imperatori infantes offerentem. Itaque hac re omnino refutari interpretationem Brizianam non dixerim. Atque si haec difficultas omittitur, eam certe anaglypho tabulas incensas exhibenti aptissimam esse unus quisque concedet, cum ex iis quae de remissione vectigalium Traiani tradita sint neque id appareat magnam eam rem fuisse neque id omnino tum syngraphas festa actione incensas esse. Alterum autem anaglyphum, etsi aptius esse liberalitati Traiani non nego, tamen sine offensa mihi videtur etiam ad Hadrianum referri posse. Denique artificium si convenit aetati Traiani, negari vix potest etiam convenire ei monumento, quod factum sit anno vel biennio post Traiani mortem.

Monente collega ex relatione Starkii apud Bursianum *Jahresberichte* 2 p. 1574 cognovi Carmelum Mancinium Neapolitanum in libello a me non viso edito Neapoli a. 1873 item reiecisse interpretationem Henzenianam ob barbas, quas certo deprehendit, ipsum autem anaglypha referre ad M. Aurelium, quem Dio 71, 32 tradit omnia quae inde a XLVI annis fisco et aerario deberentur remisisse et quae essent documenta de ea re *ἐν τῇ ἀγορᾷ καρθηρία* iussisse. Hanc interpretationem ex relatione Iordani apud Bursianum *Jahresberichte* 2 p. 731 didici iam propositam esse a Raviolio. Atque de iis quae negat Mancinius ego secundum ea quae supra dicta sunt consentio, num autem propter artificium liceat anaglypha ad aetatem M. Aurelii detrudere, dubito, sed id diiudicandum hominibus artis antiquae peritioribus relinquo.

Disputatum est I de nominibus Maecenatis, II de vicis Ariminensibus, III de inscriptione arcus triumphalis Ariminensis, IV de viae Flaminiae cursu medio, V de viris per quos Traianus rem alimentariam in Italia instituit, VI de anaglyphis a. 1872 in foro Romano repertis.

I. LECTIONES THEOLOGORUM.

1. PROFESSORUM ORDINARIORUM.

GUIELMUS SCHEFFER, theol. et phil. Dr., theol. P. P. O., Augustissimo Regi in senatu ecclesiastico a consiliis supremis, dioeceseos Marburgensis reformatae superintendens, ordinis aquilae rubrae Boruss. III. cl. cum lemnisco nec non coronae Boruss. II. cl. eques, 1) *publice examinatorium de rebus ad theologiam practicam pertinentibus* instituet; 2) *privatim liturgicam et disciplinam de missione* binis per hebd. scholis hora postea delinienda docebit.

ERNESTUS RANKE, theol. et phil. Dr., theol. P. P. O., Augustissimo Regi a consiliis ecclesiasticis, ordinis aquilae rubrae Boruss. IV. cl. eques, 1) *publice historiam textus Novi Test.* tradet die Saturni h. ix; 2) *privatim Pauli apost. epistolam priorem ad Corinthios datam* interpretabitur quinis scholis h. ix.

GEORGIUS HEINRICI, theol. et phil. Dr., theol. P. P. O., Regi Augustissimo a consiliis ecclesiasticis, 1) *publice epistolam ad Colossenses* interpretabitur semel per hebd. h. x; 2) *privatim introductionem in libros Novi Testamenti historico-criticam* dabit quinques per hebd. h. ix; 3) *privatissime et gratis* seminarii theologici *exercitationes ad Novum Testamentum* pertinentes moderabitur die Iovis h. vi.

THEODORUS BRIEGER, theol. et phil. Dr., theol. P. P. O., ordinis theologorum h. a. decanus, 1) *publice exercitationes historicas seminarii theologici* moderari perget; 2) *privatim a) historiae ecclesiasticae partem secundam* enarrabit sexies per hebd. h. viii, *b) historiam dogmatum* enarrabit quinques per hebd. h. vii.

GUIELMUS HERRMANN, theol. et phil. Dr., theol. P. P. O., seminarii theologici Philippini ephorus, 1) *publice* seminarii theologici *exercitationes systematicas* moderabitur die Martis h. vi; 2) *privatim theologiae dogmaticae partem alteram* docebit quinques per hebd. h. xi.

WOLF GUIELMUS COMES DE BAUDISSIN, theol. et phil. Dr., theol. P. P. O., 1) *publice a) exercitationes* seminarii theologici *ad Vetus Test.* pertinentes moderabitur die Lunae h. vi—viii, *b) antiquitates sacras veterum Hebraeorum exponet* diebus Martis et Veneris h. xii; 2) *privatim librum Isaiae prophetae* interpretabitur quinques per hebd. h. x.

ERNESTUS ACHELIS, theol. Dr. et P. P. O., 1) *publice exercitationes* seminarii theologici *homileticas* die Mercurii h. iii—v, *catecheticas* die Saturni h. x—xii una cum interpretatione *practica Luc. cap. XIII sequ.* moderabitur; 2) *privatim a) theologiae practicae partem I.* quinis per hebd. diebus h. viii, *b) historiam canticorum ecclesiae evangelicae* die Mercurii h. vii—ix antemeridiana tradet.

2. PRIVATIM DOCENTIUM.

GEORGIUS EDMUNDUS CONRADUS KESSLER, philos. Dr. theol. Licent., *privatim theologiam quae dicitur biblicam Veteris Test.* quinis per hebd. scholis h. III pomerid. tractabit.

CAROLUS HENRICUS CORNILL, phil. Dr. theol. Lic., seminarii Philippini repetens, 1) *gratis exercitationes exegeticas Vetus Testamentum spectantes* moderabitur, quibus tirones ad seminarii disciplinam redigantur, die Lunae hora VI—VIII; 2) *privatim introductionem in Vetus Testamentum* docebit sexies per hebdom. hora VII.

II. LECTIONES IURECONSULTORUM.

1. PROFESSORUM ORDINARIORUM.

FRIDERICUS GUILIEMUS ROESTELL, I. U. Dr. et P. P. O., facult. iurid. assessor ordinarius, ordinum aquilae rubrae Boruss. III. cl. cum lemnisco et coronae Boruss. II. cl. eques, 1) *publice speculum saxonicum* interpretabitur die Sat. h. XI; 2) *privatim* docebit *ius ecclesiasticum* quinquies h. X.

GUILIEMUS ARNOLD, I. U. et Oec. Publ. Dr., P. P. O., facult. iurid. assessor ordin., ordinum aquilae rubrae Boruss. IV. cl. et Philippi magnan. Hassiaci I. cl. eques, 1) *publice exercitationes ad ius cambiabile* pertinentes moderabitur diebus Saturni h. XI; 2) *privatim* tradet a) *historiam imperii et iuris germanici* h. XII quater per hebd., b) *ius gentium hodiernum* bis h. XII (diebus Mercurii et Saturni).

CAROLUS FUCHS, I. U. Dr. et P. P. O., facult. iurid. assessor ordinarius, Augustissimo Principi ab intimis iustitiae consiliis, ordinis aquilae rubrae Boruss. II. cl. cum fronde quereana eques, 1) *publice practicum criminale* semel h. X instituet; 2) *privatim* a) *processum civilem* sexies h. VIII, b) *ius criminale* quinquies h. X docebit.

AUGUSTUS UBELOHDE, I. U. Dr. et P. P. O., facult. iurid. assessor ordinarius, 1) *publice Gai Institutionum commentarios secundum et tertium* hora auditoris commoda semel per hebd. in seminario iuridico interpretandos proponet; 2) *privatim* a) *institutiones* quinquies per hebd. h. XI docebit, b) *historiam processus civilis romani* narrabit die Mercurii h. IV—VI; 3) *privatissime examinatorium de iure pandectarum cum exercitationibus exegeticis Arndtsio duce* in seminario iurid. instituet dieb. Martis et Veneris h. V—VII.

LUDOVICUS ENNECCERUS, I. U. Dr. et P. P. O., facult. iurid. assessor ordinarius, ordinis iurecons. h. a. decanus, 1) *publice de dominio et de iuribus in re* die Saturni h. IX et X disseret; 2) *privatim* a) *doctrinam pandectarum* quinquies per hebd. h. IX et X, b) *historiam iuris romani privati* sexies h. XII tradet.

IUSTUS BERNHARDUS WESTERKAMP, I. U. Dr. et P. P. O., facult. iurid. assessor ordin., 1) *publice historiam conatum consequendae unitatis imperii germanici inde ab anno 1815* semel h. IV narrabit; 2) *privatim* docebit a) *ius germanicum cum iure feudali* quinquies h. VIII, b) *ius mercatorium et cambiabile* quinquies h. IX.

FRANCISCUS EDUARDUS DE LISZT, I. U. Dr. et P. P. O., facult. iurid. assessor ordinarius, 1) *publice de origine atque progressu rei carcerariae* disseret die Mercurii h. IV; 2) *privatim* a) *processum civilem nec non processum concursus creditorum imperii germanici* profitebitur quinquies h. X atque diebus Saturni h. VII—IX, b) in seminario iuridico *exercitationes iuris criminalis* instituet die Lunae h. V—VII p. m.; 3) *privatissime et gratis quaestionum criminalium tractationem* moderabitur.

2. PROFESSORUM EXTRAORDINARIORUM.

VICTOR PLATNER, I. U. Dr. et P. P. E., docebit, 1) *publice ius cambiiale* semel h. x; 2) *privatim a) ius ecclesiasticum* quat. h. xi, b) *practicum cambialis commercialis germanicique iuris* bis h. x.

ADOLPHUS FRANTZ, I. U. Dr. et P. P. E., 1) *publice de institutis et legibus quibus ecclesia evangelica electoratus quondam hassiaci utitur* semel per hebd. h. v disseret; 2) *privatim a) ius criminale imperii germanici* quinquies per hebd. h. ix docebit, b) *examinatorium de iure ecclesiastico cum exercitationibus exegeticis* bis per hebd. h. x in seminario iuridico instituet.

RUDOLFUS STAMMLER, I. U. Dr. et P. P. E., 1) *publice ius pignoris* semel per hebd. h. xi; 2) *privatim ius hereditatis* quater per hebd. h. xi *Arndtsio duce* docebit; 3) *privatissime practicum de iure pandectarum* semel per hebd. in seminario iuridico instituet.

3. PRIVATIM DOCENTIUM.

FRIDERICUS VICTOR SCHMIDT, I. U. Dr., Augustissimo Principi a consiliis iustitiae, in tribunalibus quae Marburgi florent causarum procurator, notarius regius publicus, *privatim practicum quod dicitur pandectarum* die Sat. h. iv—vi instituet.

BERNHARDUS FRIDERICUS IULIUS WOLFF, I. U. Dr., Augustissimo Principi a consiliis iustitiae, in tribunalibus quae Marburgi florent causarum procurator, notarius regius publicus, *privatim practicum quod dicitur pandectarum* die Sat. h. iii—v instituet.

III. LECTIONES MEDICORUM.

1. PROFESSORUM ORDINARIORUM.

CAROLUS FRIDERICUS DE HEUSINGER, med. et phil. Dr., med. P. P. O., Augustissimo Principi ab intimis rerum medicarum consiliis, ordin. coron. Boruss. II. cl. cum stella, elect. Guil. aliorumque eques, docebit 1) *publice evolutionem scientiae medicae in Germania* die Sat. h. ii; 2) *privatim historiam medicinae litterariam* h. i.

HERMANNUS NASSE, med. et phil. Dr., physiologiae P. P. O., Augustissimo Principi ab intimis rerum medicarum consiliis, ordinis aquilae rubrae Boruss. III. cl. cum lemnisco eques, 1) *publice de praecipuis corporis humani functionibus* semel h. vi p. m. cum auditoribus sermonem habebit; 2) *privatim physiologiam generalem* binis scholis h. vi p. m. docebit.

GUILELMUS ROSER, med. Dr. et chirurgiae P. P. O., instituti clin. chir. director, Augustissimo Principi ab intimis rerum medicarum consiliis, cruce ferrea decoratus, ordinis aquilae rubrae Boruss. III. cl. cum lemnisco eques, 1) *publice examinatorium de chirurgia* offert; 2) *privatim chirurgiam generalem* docebit quater h. vii; 3) *privatissime a) clinicen chirurgicam* dirigit h. viii—x, b) *cursum operationum* instituet h. v.

NATHANAEL LIEBERKUEHN, med. Dr. et P. P. O., instituti anatomici director, 1) *publice examinatorium de rebus anatomicis* offert semel per hebd. habendum; 2) *privatim anatomiam topographicam* die Lunae, Martis, Iovis et Veneris h. x tradet.

AEMILIUS MANNKOPFF, med. Dr., pathologiae et therapiae spec. P. P. O., instituti clin. med. director, cruce ferrea decoratus, ordinum aquilae rubrae Boruss. IV. cl. et coronae Boruss. IV. cl. eques, Saxon. Ernest. II. cl. commendator, 1) *publice examinatorium de rebus clinicis* offert semel p. hebd. habendum; 2) *privatim pathologiam et therapiam specialem* quater p. hebd. h. vi—vii et dimid. docebit; 3) *privatissime clinicen et policlinicen medicam* h. x et dimid.—xii moderabitur.

HERMANNUS SCHMIDT-RIMPLER, med. Dr., ophthalmologiae P. P. O., instituti clin. ophthalmol. director, ordinis coronae Boruss. IV. cl. cum gladiis eques, 1) *publice de arte ophthalmoscopii* disseret die Veneris h. xii; 2) *privatim de oculorum morbis* disseret ter h. xii; 3) *privatissime a) clinicen ophthalmiatricam* moderabitur die Martis, Iovis h. xii—i, die Saturni h. x et dimid.—xii, *operationes* horis posthac definiendis, *b) cursum ophthalmoscopiae* instituet bis h. iv.

RUDOLPHUS BOEHM, med. Dr., pharmacologiae P. P. O., instituti pharmacol. director, ordinum Russic. Annae et Stanislai II. cl. eques, ord. medic. h. a. decanus, 1) *publice experimenta quaedam pharmacologica* instituet singulis scholis; 2) *privatim pharmacologiam et toxicologiam* quinquies h. v tradet; 3) *privatissime exercitationes in laboratorio pharmacologico* moderabitur.

HENRICUS CRAMER, med. Dr., psychiatriae P. P. O., instituti psychiatrici director, 1) *publice psychiatriam propaedeuticam* tradet semel p. hebd. hor. iv; 2) *privatissime clinicen psychiatricam* moderabitur bis p. hebd. hor. v—vii.

EDUARDUS KUELZ, med. et phil. Dr. et med. P. P. O., instituti physiologici director, 1) *publice* offert *examinatorium de rebus physiologicis* semel per hebd.; 2) *privatim a) physiologiae experimentalis alteram partem* quinquies p. h. h. iv docebit, *b) chemiam physiologicam* quater p. h. h. v tractabit; 3) *privatissime exercitationes physiologicas* ter p. h. dirigit.

2. PROFESSORUM EXTRAORDINARIORUM.

GUIDO WAGENER, med. Dr. et P. P. E., ordinis coronae Boruss. III. cl. eques, 1) *publice de situ viscerum* disseret horis adhuc definiendis; 2) *privatissime exercitationes microscopicas* una cum N. Lieberkühn, Prof. ord., die Lunae, Mercurii, Iovis h. xi—i moderabitur.

HENRICUS HORSTMANN, med. Dr. et P. P. E., Augustissimo Principi a sanitatis publicae tuendae consiliis, physicus Marburgensis, ordinis coron. Boruss. IV. cl. eques, 1) *publice de zoonosis et epizootiis* singulis scholis p. hebd. disseret; 2) *privatim a) medicinam publicam* quaternis scholis per hebdom. h. ii, *b) medicinam forensem iis, qui iurisprudentiae operam dant*, ternis scholis p. hebdom. tradet.

HENRICUS LAHS, med. Dr. et P. P. E., cruce ferrea decoratus, 1) *publice repetitorium de rebus obstetriciis* una hora instituet; 2) *privatim de morbis mulierum* tribus scholis disseret; 3) *privatissime operationes obstetricias* duabus scholis demonstrabit.

MAXIMILIANUS SCHOTTELIUS, med. Dr. et P. P. E., 1) *publice anatomiam pathologicam apparatus digestionis* semel per hebd. docebit; 2) *privatim cursum histologiae pathologicae et dissecandorum cadaverum* quaternis scholis per hebd. instituet; 3) *privatissime et gratis* moderabitur *perscrutationes pathologico-anatomicas* eorum, qui profundius in studia pathologica intrare velint.

3. PRIVATIM DOCENTIUM.

VICTOR HUETER, med. Dr., ordinis coronae Boruss. IV. cl. eques, 1) *gratis examinatorium et repetitorium de rebus obstetriciis* semel instituet; 2) *privatim operationes practicas in arte obstetricia* bis demonstrabit.

THEODORUS OTTO DE HEUSINGER, med. Dr., *privatim de morbis cutaneis* disseret ternis scholis h. vii matut.

AEMILIUS GASSER, med. Dr., *privatim histologiam* quater per hebd. docebit.

ERNESTUS FRERICHS, med. Dr., 1) *privatim de morbis laryngis* disseret atque *exercitationes laryngoscopicas* moderabitur bis per hebdom. hor. ii; 2) *privatissime artem aegrotos percutiendi et auscultandi* adiunctis *exercitationibus practicis* quater per hebdom. hor. iv docebit.

IOANNES STRAILL, med. Dr., *privatim osteologiam et syndesmologiam* diebus Martis, Veneris, Saturni docebit h. xi.

IV. LECTIONES PHILOSOPHORUM.

1. PROFESSORUM ORDINARIORUM.

FRIDERICUS LUDOVICUS STEGMANN, phil. et med. Dr., math. P. P. O., ordinis aquilae rubrae Boruss. IV. cl. eques, 1) *publice de integralibus definitis* disseret dieb. Merc. h. iii—v; 2) *privatim a) mechanices theoreticae partem priorem* quinquies h. ix docebit, *b) solitas auditorum exercitationes circa problemata ab ipsis solvenda* moderabitur dieb. Sat. h. ix—xi.

CONSTANTINUS ZWENGER, med. et phil. Dr. et chemiae pharm. P. P. O., instituti pharmaceutico-chemici director, ordinis aquilae rubrae Boruss. IV. cl. eques, 1) *publice examinatorium de chemia et pharmacia* instituet; 2) *privatim chemiae experimentalis partem secundam* sexies h. ix docebit; 3) *privatissime exercitationes chemicas* more solito diriget.

GUILELMUS DUNKER, philos. Dr., mineralogiae et geologiae P. P. O., instituti geologici et palaeontologici academici director, Augustissimo Principi ab intimis rerum metallicarum consiliis, ordinum aquilae rubrae Boruss. IV. cl., Philippi magnanimi Hassiaci et Petri Friderici Ludovici Oldenburgensis I. cl. eques, 1) *publice* die Saturni h. x *de petrefactis* leget; 2) *privatim geologiam* leget quater per hebd. h. x.

IOANNES CAROLUS GLASER, phil. Dr., scient. polit. et cam. P. P. O., 1) *publice historiam oeconomiae politicae* enarrabit semel p. h. die Merc. h. viii; 2) *privatim reditum publicorum theoriam et administrationem* docebit quater p. h. die Lun. Mart. Iov. Ven. h. viii.

ERNESTUS ADOLPHIUS HERRMANN, philos. Dr. et hist. P. P. O., ord. aquilae rubrae Boruss. IV. cl. eques, 1) *publice exercitationes historicas* moderabitur bis p. h.; 2) *privatim historiam universalem inde ab anno 1789 usque ad annum 1815* enarrabit quater h. xii.

ALBERTUS WIGAND, philos. Dr. et botanices P. P. O., horti botanici et instituti pharmacognostici director, ordinis aquilae rubrae Boruss. IV. cl. eques, 1) *publice excursions botanicas in agro Marburgensi et demonstrationes in horto* instituet die Sat.; 2) *privatim a) botanicen generalem* docebit sexies h. II, b) *botanicen systematicam* tradet et *plantas medicinales* explicabit sexies h. VII; 3) *privatissime a) exercitationes analytico-botanicas* moderabitur bis per hebd. h. IV—VI, b) *exercitationes microscopicas* instituet bis per hebd. h. XI—I.

CAROLUS IULIUS CAESAR, philos. Dr., philologiae et eloquentiae P. P. O., seminarii philologici director, bibliothecae academicae praefectus supremus, ordinis aquilae rubrae Boruss. IV. cl. eques, 1) *publice a) seminarii philologici sodalibus Quintiliani institutionis oratoriae librum decimum* interpretandum proponet ceterasque exercitationes solito more moderabitur binis scholis h. X, b) *historiam literarum graecarum inde ab Alexandri M. aetate* summam proponet d. Merc. h. IX; 2) *privatim historiae literarum romanarum partem priorem* tradet quinque diebus h. IX.

LEOPOLDUS SCHMIDT, philos. Dr., philologiae P. P. O., seminarii philologici director, ordinis aquilae rubrae Boruss. IV. cl. eques, academiae h. t. rector, 1) *publice seminarii philologici sodalibus Theognidis elegias* interpretandas proponet ceterasque exercitationes moderabitur bis h. X; 2) *privatim Platonis Convivium* interpretabitur quater h. XI.

FRANCISCUS AEMIL. MELDE, phil. Dr., physices et astronomiae P. P. O., instituti mathematico-physici director, 1) *publice* docebit *elementa astronomiae* die Mart. et Ven. h. XI; 2) *privatim* leget *physices experimentalis partem primam ad phaenomena mechanicae, fluctuationis atque lucis spectantem* h. VIII quinque; 3) *privatissime* reget *exercitationes physicas practicas* una cum prof. extraord. Feussner per quatuor dies h. II—V.

CAROLUS DIETZEL, philos. Dr. et polit. scient. P. P. O., 1) *publice de socialismo* semel p. h. disseret; 2) *privatim oeconomiam publicam* docebit quater p. h.

CAROLUS LUCAE, philos. Dr., theodiscarum et linguarum et litterarum P. P. O., seminarii germanici director, ordinis aquilae rubrae Boruss. IV. cl. eques, 1) *publice seminarii germanici exercitationes* moderabitur d. Merc. h. VIII—X; 2) *privatim Wolframi Eschenbacensis carmen cui Parcival inscriptum est* interpretabitur quater per hebd. h. VIII.

FERDINANDUS IUSTI, phil. Dr., grammatices comparativae et philologiae germanicae P. P. O., ord. philos. h. a. decanus, 1) *publice scriptores sanscritos* interpretandos proponet dieb. Lunae et Iovis h. II; 2) *privatim phonologiam linguarum indogermanicarum* tradet quinque scholis h. III; 3) *privatissime sed gratis a) linguam persicam* docebit dieb. Mart. Merc. Vener. h. II.

FRID. ED. GUIL. IULIUS BERGMANN, philos. Dr. et P. P. O., 1) *publice exercitationes philosophicas* bis per hebd. moderabitur; 2) *privatim logicen* ter per hebd. h. IV docebit.

RICARDUS GREEFF, med. et philos. Dr., zoologiae et anatomiae comparatae P. P. O., instituti zoologico-zootomici director, 1) *publice exercitationes in determinandis animalibus* diriget semel d. Ven. h. IV; 2) *privatim zoologiam et anatomiam comparatam animalium invertebratorum* docebit quinque dd. Lun. Mart. Merc. Iov. Vener. h. III; 3) *privatissime exercitationes zoologicas et microscopicas* ternis scholis diriget dd. Lun. Mart. Iov. h. IV.

EDMUNDUS STENDEL, phil. Dr., linguarum et literarum recent. P. P. O., seminarii romano-anglici director, 1) *publice exercitationes seminarii romano-anglici* moderabitur quater per hebdomadam h. xii; 2) *privatim a) metricam populorum romanorum artem* explicabit quater per hebdomadam h. xi, b) *exercitationes palaeographicas* moderabitur binis per hebdomadam scholis h. xi.

CONRADUS VARRENTRAPP, phil. Dr., historiae P. P. O., seminarii historici director, cruce ferrea decoratus, 1) *publice* proseminarii historici *exercitationes* moderabitur semel per hebdomadam h. vi; 2) *privatim de historiae mediæ ævi fontibus* disseret quater hebdomadam h. iv.

THEODORUS ZINCKE, phil. Dr., chemiae P. P. O., instituti chemici director, 1) *publice selecta chemiae organicae et theoreticae capita* tractabit semel; 2) *privatim a) chemiae experimentalis partem primam i. e. chemiam anorganicam* tradet sexies hebdomadam h. ix, b) *partem secundam i. e. chemiam organicam* tradet ter vel quater; 3) *privatissime exercitationes practicas in laboratorio chemico* moderabitur quotidie ab hebdomadam viii ad hebdomadam v.

HERMANNUS COHEN, philos. Dr. et P. P. O., 1) *publice exercitationes philosophicas* moderabitur binis horis per hebdomadam; 2) *privatim historiam philosophiae recentioris* tradet quater per hebdomadam h. v.

IOANNES IUSTUS REIN, philos. Dr., geographiae P. P. O., ordinum aquilae rubrae Boruss. IV. cl. et leonis Zaring. Bad. II. cl. eques, 1) *publice exercitationes geographicas* semel per hebdomadam h. ii—iv moderabitur; 2) *privatim geographiam Europae* docebit quinquies per hebdomadam h. vii a. m.

EUGENIUS BORMANN, phil. Dr., historiae antiquae P. P. O., seminarii historici director, cruce ferrea milit. dec., 1) *publice a) seminarii historici exercitationes ad antiquam aetatem pertinentes* moderabitur die Mercurii h. vi—viii, b) *Taciti annalium librum III* interpretabitur bis hebdomadam h. xii; 2) *privatim epigraphicam latinam* docebit ter hebdomadam h. viii.

FRIDERICUS KLOCKE, philos. Dr., mineralogiae et petrographiae P. P. O., instituti mineral. acad. director, 1) *publice exercitationes practicas crystallographicas* moderabitur die Mercurii h. iii—v; 2) *privatim petrographiam* docebit diebus Mart. et Vener. h. x; 3) *privatissime* reget a) *geometricas exercitationes crystallographicas* diebus Merc. et Iovis h. x, b) *exercitationes practicas in laboratorio mineralogico* quotidie ab hora ix ad h. v.

2. PROFESSORUM EXTRAORDINARIORUM.

CAROLUS ALHARTUS DE DRACH, phil. Dr., math. P. P. E., 1) *publice* disseret *de sectionibus conicis* bis per hebdomadam h. vii; 2) *privatim* leget a) *institutiones calculi differentialis* quinis scholis h. x, b) *geometriam syntheticam* trinis scholis h. vii.

ADOLPHUS EDMUNDUS HESS, phil. Dr., P. P. E., 1) *publice introductionem in functionum analyticarum theoriam* tradet die Mercurii h. xi—i; 2) *privatim a) priorem geometriae analyticae partem, praecipue sectionum conicarum theoriam* tractabit quaternis scholis h. xi, b) *selecta altioris analyseos capita* explicabit ter per hebdomadam h. xii; 3) *privatissime* sed *gratis exercitationes analytico-geometricas* instituet die Sat. h. xi.

LUDOVICUS DE SYBEL, phil. Dr., P. P. E., 1) *publice a) exercitationes archaeologicas* moderabitur die Lun. h. xii, b) *plasticae antiquae opera gypso expressa* explicabit die Merc. h. iii; 2) *privatim typicam et hermeneuticam imaginum antiquarum* docebit die Mart. Iov. Ven. h. xii.

GUILELMUS FEUSSNER, phil. Dr., P. P. E., bibl. acad. custos, 1) *publice exercitationes circa aequationes differentiales moderabitur semel h. viii*; 2) *privatim a) physices theoreticae partem priorem quater h. ix, b) aequationum differentialium integrationem quinquies h. viii docebit*; 3) *de exercitationibus physicis practicis privatissime moderandis cf. quae prof. Melde indixit.*

MAXIMILIANUS LENZ, phil. Dr., hist. P. P. E., seminarii historici director, 1) *publice a) de expeditionibus ad terram sanctam recuperandam factis semel p. h. h. viii disseret, b) seminarii historici exercitationibus praeerit semel p. h. h. vi*; 2) *privatim historiam saeculi decimi octavi enarrabit quater p. h. h. viii.*

THEODORUS BIRT, phil. Dr., P. P. E., 1) *publice in proseminario philologo Acharnenses Aristophaneam interpretandam proponet, exercitationes reliquas adiunget bis p. hebd.*; 2) *privatim grammaticam latinam praeter syntaxin tradet quater p. hebd.*

BERNHARDUS RATHKE, phil. Dr., P. P. E. Halensis, *privatim chemiam theoreticam bis per hebd. docebit.*

3. PRIVATIM DOCENTIUM.

FRIDERICUS MOESTA, phil. Dr., 1) *gratis historiam evolutionis terrae tradet d. Sat. h. xii*; 2) *privatim geologiam quinquies h. x docebit.*

CONRADUS KESSLER, phil. Dr. theol. Licent., praeter scholas theologicas, 1) *gratis Muhammedis Arabum prophetae eiusque sectatorum religionem exponet die Mercurii h. xii*; 2) *privatim linguam arabicam docere perget bis per hebd. h. xii.*

FRIDERICUS BERNARDUS FITTICA, phil. Dr., 1) *gratis a) chemiam toxicologicam semel docebit, b) chemiae historiam (p. II.) semel enarrabit*; 2) *privatim chemiam analyticam quater docebit.*

MAXIMILIANUS KOCH, phil. Dr., 1) *privatim a) de Goethei vita et operibus usque ad 1786 disseret bis p. hebd. h. x; b) historiam scenicae poesis apud Britannos tradet ternis scholis p. h.*; 2) *privatissime et gratis exercitationes litterarias moderabitur singulis p. h. scholis.*

BENNO KLEIN, phil. Dr., 1) *gratis exercitationes de geometria situs moderabitur semel p. hebd.*; 2) *privatim geometriam situs docebit.*

PAULUS NATORP, phil. Dr., 1) *gratis philosophiam Theaeteti Platonici interpretationem moderabitur semel p. h.*; 2) *privatim philosophiae Kantianae historiam ac rationem docebit quat. p. h. scholis h. xii.*

ADOLPHUS ELSAS, phil. Dr., 1) *privatim physices theoreticae fundamenta docebit bis p. hebd. h. iv*; 2) *privatissime sed gratis colloquium physicum instituet semel p. hebd. h. iv.*

GREGORIUS SARRAZIN, philos. Dr., 1) *gratis Byronii carmen, quod vocatur Childe Harold's Pilgrimage explicabit bis p. h. h. vi*; 2) *privatim Chauceri fabulas Cantuarienses interpretabitur binis scholis h. xii.*

Doctrinam harmonicam OTTO FREIBERG, concentuum musicorum director, semel gratis tradet, idem instrumentorum musicorum tractandorum cantandique scholas et exercitationes offert. Delineandi et pingendi artem FR. SCHUERMANN docebit, atque doctrinam projectionum et geometriam descriptivam semel gratis tradet. Nec minus praesto sunt, qui equitandi artem et armorum tractationem doceant.

